

SR. 57. 412

1770, 36.

QVAESTIO CONTROVERSA
AN
HEREDITAS DONARI
POSSIT
MORTIS CAVSA

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAE SIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE X. MART. ANNO CICOCCLXX.
PVBLICE DEFENDET
IOANNES FRIDERICVS ROCH
NEPPERWIZIO - MISNICVS.

LIPSIAE
LITERIS RVM PFIIS.





AN

HEREDITAS DONARI POSSIT MORTIS CAVSA.

§. I.

Quam iam veteres Jurium interpres donationis atque liberalitatis speciem quondam ex summi illius Graecorum HOMERI autoritate et introduxerunt et comprobarunt, quam *mortis causa* donationem vocarunt, fluctuare videtur inter paetum interque ultimam voluntatem saltem minus solennem, haud vero

A 2

folem-



solemnem. *Paclum erit, si de ipsis forma agatur.* Si enim HOMERI locum, quem adducunt iura, adhibemus, Telemachus Vlyssis filius contra matris suae Penelopes procas depugnaturus cum Pireo suo pacisci videtur. At si ad effectum respicimus, liberalitas illa magis successionis alicuius atque ultimae voluntatis speciem continere videtur. Nemo vero accuratius naturam ipsis mortis causa donationis docuit, quam ICtus MARCIANVS in L. i. ff. de Mort. Cauf. donat. Scribit: *Mortis causa donatio est, cum quis habere se vult, quam eum, cui donat; magisque eum, cui donat, quam heredem suum.* Videtur deesse vox aliqua, ad quam se referre possit particula comparandi *quam.* Salua vero est lectio, eamque recte vindicavit Anton. AVGUSTINVS Emendat. L. IV. cap. 8. ex graeco dicendi genere. Neque vero puto his MARCIANI verbi inesse perfectam atque absolutam definitionem ipsis mortis causa donationis; sed describit potius eam ex ratione intentionis ipsis donatoris, quo indicet, in se non perfectam esse liberalitatem, ut donatario ius tribuat, sed mortem donatoris expectandam, qua confirmetur demum atque perficiatur illa liberalitas. Si enim ipse donator mauult habere rem, haud transfert ius in ipsum donatarium mortis causa donando, at vero, si ipse habere non possit, quod fit, cum moritur, mauult donatarium habere, quam heredem, ad quem res illas mortis causa donatas non vult peruenire. Haec sane interpretatio latet in verbis PAVLI in L. 35. §. 2. ff. de Mort. Cauf. donat. Scriperat vero: *At is, qui mortis causa*

causa donat, se cogitat, atque amore vitae recepisse potius, quam dedisse manuit: et hoc est, quare vulgo dicatur: SE POTIUS HABERE VVLT, QVAM EVM, CVI DONAT: ILLVM DEINDE POTIUS, QVAM HEREDEM SVVM. *Jac. CVIACIVS* breuiter mortis causa donationem liberalitatem vocat, quae ita sit, ut non, nisi morte donatoris confirmetur, seu, ut nisi morte confirmetur, nulla sit liberalitas. Plenius rem conficit *Hub. GIPHANIUS* in *Lectur. Altorfin. ad L. i. ff. b. t.* definit: esse donationem quandam non meram, sed aut mortis cogitatione, aut ob periculum mortis factam, ita, ut et post mortem demum perficiatur.

§. II.

Cum vero diuersis modis illa liberalitas possit concepi, ad tria potissimum genera omnis mortis causa donatio potest referri. *Vel* enim I. sit sola mortalitatis cogitatione haud praesente, tamen mortis periculo aliquo singulare; *vel* II. sit respectu imminentis alicuius periculi vitae atque perficitur ipsa re tradita, quae alterius sit, si in periculo pereat et succumbat donator; *vel* III. sit sola promissione intuitu praesentis atque imminentis periculi, ut tunc demum accipiat atque traditam habeat, si in periculo succumbat ipsem donator. Jam vero, cum non adsit absoluta quedam liberalitas, cum donator malit ipse rem retinere, quam ut ad donatarium perueniat, nihilominus tamen ipsa donatio inter donatorem atque donatarium forma pacti perficiatur; non absurdum videtur, donationem mortis cau-



sa conditionatam conuentionem habere. Inest enim in omni genere donationis conditio, alterum rem habiturum iusque in ea re consecuturum, si vel animum liberalem donator ad mortis punctum retinuerit, vel haud reuocauerit ipsam donationem, vel haud repetierit ipsam rem donatam iamque donatario traditam. Ex ipsa itaque mortis causa donatione *spem* tantum consequitur donatarius, neque *ius in re*, quamvis donator rem mortis causa donatam donatario tradiderit. Jus vero demum obtinebit donatarius, si morte donatoris haud animum liberalem mutantis confirmetur donatio: scilicet, *ius ad rem*, si promiserit rem tantum donator, *ius vero in re*, si iam tradiderit. Tunc enim existit conditio, quae conuentioni inest. Hinc, cum a morte pendeat, seu ab ultima quasi voluntate donatoris valor conuentionis, mirum non est, eam quoque recipere naturam ultimae voluntatis, sed minus solennis et ex regula iudicari posse: *ambulatoria est hominis voluntas ad extremum vitae halitum.*

§. III.

Non inquiram latius, quis mortis causa donare possit, atque in quem illa liberalitas cadere possit. Vel enim aliunde haec satis nota sunt, vel facile argumentum duci poterit a rationibus ultimarum voluntatum, quippe praeter filium familias ex arbitrio patris, semper ad utramque et aetiam in donando et passiuam in acceptando testamentificationem respicitur. Neque res, quae liberalitatis

tis huius obiectum esse possunt, nos morantur, quippe per se clarum vel in euentum adfuturam alienationem, ut nulla res possit donari, quae priuatorum commercio exempta sit. Sed alia adeat eaque dubia opinio atque controverfa: *An hereditas mortis causa donari possit.* Et adfirmantibus et negantibus haud defunt argumenta. Haec ergo examinabimus, et, quae nobis veriora videntur, dicemus.

§. IV.

Ante vero quam ad argumenta vtriusque sententiae examinanda veniamus, speciem quandam notemus, quam ad propositam quaestionem haud referri velimus. Fac Titium mortuum me relieto herede sive ex testamento, sive ab intestato. Hanc adeo Titii hereditatem verbis, obsignatam vero, cum non adeo magni momenti sit, atque debita vel aes alienum solutum legataque praestita, adhuc habui. *Hanc Titii hereditatem seruatam adhuc an mortis causa Caio donare possem,* haud ambigendum censeo. Non enim tunc alia voci hereditatis ineſt notio, quam relatiua, scilicet me donare velle eas res, quae quondam Titii erant eiusque hereditatem constituebant, sed iam meae factae sunt titulo hereditatis. Neque hereditatem mortis causa dono, sed meorum bonorum partem, neque Caium donando Titii heredem conficio. Et cum alienatio tantum fiat in mortis causa donatione, sicut vendi possit, quidni possit donari vel mortis causa acquisita semel hereditas. De hac ergo causa iam non agimus, sed de ea, qua donatione

mor-



mortis causa hereditas in heredem donatarium transfe-
ratur.

§. V.

Inter eos, qui negant, posse hereditatem mortis cau-
sa donari, eminet maxime subtilissimus inter Glosatores
interpretes ACCVRSIUS ad L. 19. C. de pa*g*. Utitur eo ar-
gumento, quod viuentis nulla sit hereditas, quae in dona-
tionem eat. V A V D V S in Variis Quæst. Jur. Civil. L. 1. qu.
40. communem hanc vocat Accursii opinionem aliosque
consentientes allegat. Sed quanquam non omnino im-
probem Accursii opinionem, tamen vehementer dubito,
vtrum illius argumento negantium sententia confirmari
atque probari possit. Quis enim adfirmaret, donatorem
mortis causa donare viuentis hereditatem, cum a mortis
tempore demum valeat illa donatio, neque, si perfecta sit,
quidquam in donatarium conferat, quam solam spem, vi-
delicet: fieri posse, ut donarius habiturus sit aliquando
donatoris mortui hereditatem, si ante mortem donator
donationem factam non reuocauerit. Sane hic non agi-
tur de viuentis hereditate. Et in hoc quoque donatio
mortis causa similis videtur testamento vel etiam codicil-
lis, ex quibus et heres et legatarius viuo testatore nihil
consequitur, praeterquam spem successionis, nisi postea
testator vel testamentum vel codicillos infirmet atque re-
uocet. Sicuti vero testator, qui de rebus suis disponit, non

de viuentis hereditate disposuisse videtur, sed de mortui bonis, quippe eius morte demum effectum sortitur, ita in donatione hereditatis mortis causa, non viuentis hereditas donaretur, sed mortui scilicet donatoris. Si ergo Accursii argumentum, quod quidem in suis speciebus verissimum est, in hac applicatione procederet, nec testamenta nec codicillos haberemus. Nullum itaque est Accursii argumentum in hac causa, quare recte mihi quidem videtur versari VAVDV^S cit. loc. in refutando Accursio, dum scribit: *Cum mortis causa donatio, nisi mortuo donatore perfecta et rata esse non possit, constat, non TEM-PVS donationis inspici, sed MORTIS donatoris oportere. Caet.*

§. VI.

Contra vero adsunt alii, qui adfirmant, mortis causa hereditatem donari posse, seu, quod idem est, mortis causa donationem titulum acquirendi vniuersalem esse posse. Defendit praecipue hanc sententiam, quem allegauimus, VAVDV^S, cit. loc. Imo eo laborat, ut adfirmatiuum suam argumentis quoque confirmet. Sed examinatis atque bene ponderatis iis, apparet, multum abesse ut iis istam comprobataam atque confirmatam censeamus. Putat vero, ex eo confirmari adfirmatiuum, quod verba transferre voluntis hereditatem suam, omnino omnia sint ad eam transferrendam

B

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-802015-p0011-1



rendam idonea, prouocans simul ad autoritatem ICtorum HERMOGENIANI, PAVLI et VLPIANI in L. 14. §. 8. L. 15. et 16. ff. ad SCtum Trebell. Audiamus ipsos ICtos. Scribit HERMOGENIANVS: Sed et si quis bona rogatus sit; vel familiam vel pecuniam (rogetur;) vel VNIVERSAM REM MEAM; Pergit dein PAVLVS: vel omnia sua: Absoluit demum VLPIANVS: cogi poterit. Hoc idem; et si patrimonium fuerit rogatus; et si facultates; et si QVID-QVID HABEO; et si CENSVM meum; et si FORTVNAS MEAS; et si SVBSTANTIAM MEAM; et si PECVLIUM MEVM testator dixerit: (quia plerique vnorogim̄as i. e. diminutiae patrimonium suum peculium dicunt,) cogendus erit. Sed haec omnia ICtorum verba nihil de donatione mortis causa. Deinceps videamus quid sentiant.

§. VII.

Aliud auxilium quaerit VAVDV. c. l. in Constitutio-
ne CONSTANTINI, quae continetur in L. 15. C. de testa-
mentis. Ut facilius decernere queamus, ipsa verba adscri-
bamus: Quoniam indignum est, ob inanem obseruationem irri-
tas fieri tabulas et iudicia mortuorum, placuit ademis his quorum
imaginarius usus est, institutioni heredis verborum non esse nece-
sariam obseruantiam, virum imperatiuis et directis verbis fiat,
aut inflexis, nec enim interest, si dicatur, heredem facio, vel
instituo,



instituo, vel volo, vel mando, vel cupio, vel esto, vel erit; Sed quibus libet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valeat, si modo per eam liquebit voluntatis intentio, nec necessaria sunt momenta verborum, quae forte seminecis et balbutiens lingua profudit, et in postremis ergo iudiciis ordinandis amota erit solennium verborum necessitas, ut qui facultates proprias cupiunt ordinare, in quacunque instrumenti materia conscribere et quibuscumque verbis ubi liberam habeant facultatem. Sed nec ex his legis verbis exacta probatio peti potest, quod forsan ipsi VAVDO in mentem venit, quare tandem ad L. 19. C. de pacis prouocat. Rescripserat DIOCLETIANVS in ea. Si scripto aliquo inter paganos conuenerit, ut qui alteri superiuixerit rerum potiatur alterius, scripturam huiusmodi momentum aliquod non habituram: quia ne quidem MORTIS CAVSA DONATIONIS vim aut speciem obtinere posset utiliter. caet.

§. VIII.

Iam ipsa haec VAVDI argumenta, atque probationes examinabimus proprius. Si capita illa adducta HERMOCENIANI, PAVLI atque VLPIANI accurate interpretamur, in iis nihil amplius continetur, quam copia verborum, quibus σηνομηνῶς vtebantur, quaeque idem significabant, quod hereditas. Quia propter ex his textibus perinde erit, vtrum vtar vocabulo hereditatis, an vero



familiam, pecuniam, vniuersam rem meam, omnia mea, patrimonium, facultates, quidquid habeo, censum meum, fortunas meas, substantiam, peculium dixerim. Dein agunt ipsi ICti non de verbis quibus hereditas relinqu in genere possit, sed de fideicommisso vniuersali, in quo heres rogabatur restituere integrum hereditatem, familiam etc, et adfirmant ICti, quibusunque verbis vsus sit testator in exprimenda sua voluntate de restituendis bonis, quoque vocabulo vsus sit, quo suum patrimonium denotet, cogendum esse heredem ad restituendum. Sed quid haec omnia ad hereditatem mortis causa donata? Et quis concluderet, quod, cum hereditas vel patrimonium, vel fortunae, vel facultates aut amplius dici possent, quoties fidei commissum impositum esset, et mortis causa donari posse hereditatem. Nexus non perspicio.

§. IX.

Neque probationem inuenio in Constitutione **CONSTANTINI**. Cum enim antiquitus praeter solennitates illas consuetas, quibus ultima voluntas legis robur obtinebat, et formularius cultus et verborum solennitas obseruaretur, neque alia, quam Romana lingua legem quis suae familiae dicere posset; voluit **CONSTANTINVS**, ut inanes

inanes hae subtilitates amplius non obseruarentur atque strictus formularum usus a morientium ultimis voluntibus abesset. Volebat magis imperator, ut ad morientium intentionem atque voluntatis declarationem respiceretur, quam ad illas antiquas formulas atque ad romanae linguae usum. Sed nulibi apparet ex verbis ipsius Constitutionis, voluisse Imperatorem, ut hereditas mortis causa donatione posset relinquiri.

§. X.

Tandem veniamus ad Rescriptum Diocletiani. Forsan in eo maius praesidium intueniat causa **VAVDI?** Sed nec ex eo arbitror probari posse opinionem **VAVDI**. Patet magis ex ipsius rescripti verbis, conuentiōnem de ultima successione, vel, ut est in rescripto, *ut qui alteri superuixerit, rerum potiatur, quamvis in scripturam redacta sit, destitui omni iure, ita, ut ne donationis mortis causa titulo effectum aliquem habere possit.* Sed in his ipsis verbis nihil est, quo adfirmetur hereditatem integrām donationis mortis causa titulo et relinquī, et acquirī posse. Imo forsitan ipse imperator negat eam conventionem vim et speciem donationis mortis causa obtinere posse, quod donatio fluctuaret illa inter pactum et ultimam voluntatem, ut ea pacisci non posset de integro

B 3

patri-



patrimonio. Me itaque iudice nihil probant argumenta,
quibus suam confirmaturus erat sententiam VAVDV.

§. XI.

Sed alia nobis sedet obie^ctio, quae forsitan VAVDI
sententiam confirmet. VLPIANVS enim in L. 10. ff. de
mort. cauf. donat. scriperat: *Ei, cui mortis causa donatum est,*
posse SVB STITVI constat in hunc modum: vt promittat ali-
cui, si ipse capere non possit, vel sub alia conditione. Quid
ergo? Si concludamus: Substitutio est vterioris heredis
institutio. Cum itaque adfirmet VLPIANVS, posse ei
cui mortis causa donatum est, SVB STITVI, videtur ipse
mortis causa donatarius considerandus tanquam heres in-
stitutus, eundemque acquisitum hereditatem titulo do-
nationis mortis causa. Sed nec hoc argumentum pro-
dasset, quippe verbum substitutionis ex verborum et cau-
sae connexitate interpretandum. Probat enim GIPHA-
NIVS in *Lectur Altorsin. ad L. 10. cit.* posse legatario substitui.
Quis vero tuto adfirmet hereditatem titulo legati alteri
relinqui posse. Neque apud VLPIANVM de alia substi-
tutione verba capienda, quam de ea, quae per modum
fideicomissi, vt mens itaque sit, posse a mortis causa do-
natorio fideicommissum reliqui. Quem enim sua liberalitate
honorauerat testator, eundemque etiam onerare poterat, id
est, rogare de restituendo. Provoco amplius ad MAR-

CELLVM

CELLVM in L. 50. ff. de Leg. II. qui rationem rectam addit.
quia in posterioris persona donatio confertur.

§. XII.

Quae cum ita sint, verior mihi videtur sententia Accursiana, quamquam non vterer eius argumentis. Vel posset vero argumento esse, quod donatio mortis causa fluet inter pactum et ultimam voluntatem et conditionatam pacti rationem in se contineat, ut supra dictum est, Romanis vero per pacta atque conuentiones succendi ius non acquireretur, nec acquiri permitteretur, quod tamen suo modo contingere in mortis causa donationibus. Sed gratissimum argumentum deprehenditur apud VLPIANVM in L. 36. ff. de Mort. caus. donat. Scriperat Ictus: *Illud generaliter meminisse oportebit, donationes moris causa factas, LEGATIS comparatas. Quodcumque igitur in legatis iuris est, id in mortis causa donationibus erit accipendum.* Iam concludo. Nullibi comprobatum est, ut legato integra hereditas posset acquiri. Est enim *dilebatio hereditatis*, seu ea liberalitas, qua deminuntur bona, quae hereditatem constituant, non ipsa familia, non ipsum patrimonium. Pergo: cum vero ex VLPIANI autoritate donatio mortis causa comparetur cum legatis, et haec magis delibatio hereditatis erit, quam ipsa hereditas seu titulus vniuersalis. Neque obstat, quod legatum



tum dicatur etiam donatio quaedam, seu quod idem est, liberalitas quaedam a defuncto relieta. Iam vero in hereditate institutione semper testatoris liberalitas deprehenditur, quae causa fuisse videtur, quod captoriae institutiones, imo et legata poenae nomine relieta non comparentur. At cedo, liberalitatem esse in hereditate relinquenda; Sed quis a specie diversa ad speciem in se diversam recte ducat argumentum? Aliud vero dubium forsitan in legatis partitionis quaeri posset, quippe in his pars hereditatis relinquitur, v. e. semis do lego Titio. Sed non dubitamus, partem sui patrimonii donari mortis causa posse, dubitamus vero de integra hereditate donanda, quippe integra hereditas legari nequit, ita nec donari.

T A N T V M .



VD18

ULB Halle
007 208 200

3



B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

QVAESTIO CONTROVERSA

A N

HEREDITAS DONARI
POSSIT
MORTIS CAVSA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREWNING

PROFESSOR. PUBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE X. MART. ANNO CICIOCCLXX.

PUBLICE DEFENDET

IOANNES FRIDERICVS ROCH

NEPPERWIZIO - MISNICVS.

